



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus M.D.IV. Sancti Patris Benedicti M.XXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

nis sumptibus collegit, adeo locupletem, & ab hisce instructam armis, ut eâ præstantiorem tunc temporis Germania non habuerit. Ita ipse ad Joannem Damium, qui sibi à Cubiculis olim fuerat: *In omni facultate scientiarum, inquit, volumina multa comportavimus, non solum impressa, sed etiam pergameno scripta complura pretiosa & rara, ut confidenter ausim dicere, IN TOTA GERMANIA SIMILEM NON ESSE BIBLIOTHECAM, in qua tot rara & pervetusta inveniuntur volumina, in omni varietate Scripturarum tam Divinarum, quam secularium, diversarum quoque linguarum, Hebraica, Græca, Latina, Chaldaica, Arabica, Indiana, Ræthenica, Tartarica. Taceo reliquas consulto quæ nostris utuntur characteribus, ut Italica, Bohemica, Gallica & similes &c.*

Bibliotheca
Trithemij.

Census sui
ad Trithemium.

Quantus vero ad Trithemium occursum esset, ipse item in Chronico suo Spanheimensi memorat: *Bibliotheca, inquit, Spanheimensis hujus Monasterij [vix quadraginta octo antea volumina, ibi repererat] hodie in omni terra prædicatur, in tantam, ut multi Principes, Episcopi, Doctores, Magistri, Nobiles, Viri clarissimi, non solum è vicino, sed etiam è Regionibus longinquis, nomine & famâ Joannis Trithemij Abbatis & voluminum ejus excitati, hunc locum inviserint, quibus antehac nec nomen quidem Cenobij constabat. Inter quos, ut paucos ceterisque præstantiores commemorem, fuit Joannes Dalburgius Episcopus Wormatiensis, Joannes Capnion Pforzensis, Conradus Celtes Protutius Poeta Laureatus, Franciscus Bononius Regina Romane Secretarius, omnes viri doctissimi, Græce quoque & Hebraice lingua peritissimi; Henricus Bunauigius Saxonie Ducum Secretarius, Joannes Cuspinianus Poeta Laureatus & Medicus, Jacobus Wimpfelingius Theologus, Aquinus natione Suedus, Mathematicus subtilissimus, Agidius Delphius Theologus Parisiensis, Jason Italus, Jodocus Gallus Rubiacensis Theologus, Gabriel Biel Theologus famosissimus alijque multi, quorum nonnulli ad mensem, quidam ad duos vel tres, alij etiam ad unius anni spatium, solitis expensis, amore litterarum tam Græcarum quam Latinarum, quibus instructus assatim habebatur Trithemius, in hoc mansere Cenobio. Ita ipse.*

Viri literati
plures
enumerantur.

Triumphantis Ecclesiæ coronæ, insignis Militantis gemma inferitur hoc anno Beatæ Memoræ Godefridus Floreau, Catalaunensis in Campania Gallica Pontifex, qui ex Monacho & Abbate S. Germani à Pratis, ad eam evectus Cathedram, cum raro perfectioris vitæ exemplo suæ Ecclesiæ amos quinquaginta strenuè præstitisset, Monachum se fuisse nunquam oblitus, atque esse factò ipso commonstrans, Regularem vitæ disciplinam ad finem usque indefesse observare in potissimis duxit, animi demissione, quam Insulis spectatior. Conditus est pro meritis in medio chori cathedralis Ecclesiæ, cujus jussu insignia chori sedilia confecta sunt, & columnæ aræ majoris. *Joan. Chenu, Belforestius, Claud. Robertus, Arnoldus Duacenus, &c.*

Godefridus
Floreau
Episcopus
Catalaunensis.

In Germania Monasterio S. Petri Erfordienfis, summo bonorum omnium luctu magnum omnino luminare extinguitur, Guntherus Abbas, non de Monasterio solum suo præclare meritis, sed de Ordine universo per Germaniam nostram, inspectissimus plurimorum Monasteriorum Reformatore, ex cujus Canobio, tanquam Religiosioris vitæ Ascetarum promptuario, plurimi ad diversa loca Præsules sunt postulari.

Gunterus
Abb. S. Petri
Erfordienfis.

Effulgebat summâ longè latèque auctoritate & celebritate Leisbornense Cenobium sub Joanne lectissimæ notæ Antistite, ejusdem loci Ascetis tantæ eruditionis & perfectionis vitæ famâ celebratis, ut difficillimi casus & controversiæ totius provincie ad ipsos remitterentur. Ex quo facile animadvertas, etiam perditissimo hoc tempore, juxta perfectionis & sanctitatis studia, etiam eruditionis apud nostros strenuè viguisse.

Joannes
Abb. Leisbornensis.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.IV.
Sancti Patris Benedicti
M. XXIV.

Ingenti prodigio, & aternis memorando sæculis, restituta hoc anno, deplorata Monachorum in sacro Casinate Monasterio res, & propensissima Numinis voluntas in Ordinem nostrum, in hoc etiam fine sæculorum, manifestissimè comprobata, Marcum Antonium Scipionem elegantif-

Assiduis
Casini
status.

gantissimi Styli scriptorem, virum amicissimum, audiamus: Sanctissimum Ordinis Archidiaconum Commendatarij, ut vocant, Abbates, eosque inter postremos Joannes Medicus S. R. E. Cardinalis, habuerant. Ab hoc, inquit scipio, Julius Pontifex Maximus, Abbatiam enixè contenderat, Consabvi Magni assiduis ac penè importunis precibus efflagitatus. Hic enim Ferdinandi Regis Hispania Copiarum in Italia Imperator, cum intra Barulorum inclusus à Gallis semestri jam obsidione acriter adeo premeretur, ut praevidens inopia, quodvis herbarum genus ac mures ipsi jam cessissent in cibum, nec ulla commestus & subsidij spes in proximo ostenderetur: tam difficili tempore & loco ad preces & vota conversus est; Divi BENEDICTI ope, ac patriaciano, deploratis Hispaniarum rebus, suppliciter exorato: nec frustra; Nam insequenti nocte per quietem à suo Tuiolari Benedicto confirmatus, bono animo esse jubetur, hostem statuto loco, atque hora laceffere ad praelium; ex quo certam victoriam, ac triumphum esse relaturus: tantum recordaretur, ubi Campania Regno potius esset, suos Monachos in Castinatensis Canobij liberam possessionem asserere. Ex nocturno viso Dux & milites erecti, capessunt pugnam, tanto animi ardore atque audacia, ut Gallis longè numero superioribus, partim caesis, partim in fugam coniectis, Victoria brevi ad Hispanos inclinaverit, qui temporis, ac celestis patrocinij beneficium occupantes, invadere hostium castra, praeda agere, vicinis locis deinceps potiri: donec capta Neapoli (Principe Regni urbe) reliqua oppida & urbes, sponte sua deditionem fecere. Rebus hunc in modum, prae expectationem prodigiòse transactis: Consabvus, annuente Ferdinando Rege, Campaniam omnem Proregis dignitate, atque imperio moderabatur. Lanque tam insignis Victoriae (quam Divi BENEDICTI auxilio resulerat) optime conscius ac memor, de voto persolvendo religiose cogitabat, Omnes igitur omnium Canobitarum Antistites (quotquot sanctissimi Patriarcha Regulam Neapoli profitebantur) ad sese accersiri mandat, visurus cuinam Sodalitio, Domicilium Castinas ex voti obligatione attribueret. Hos inter simul ac Vincentium Neapolitanum (id temporis ad S. Severini Abbatem) adspexit cucullo laxioribus manicis, multi-

plici que plicaturâ concinnato, atratum ac gravem; intento in eum digito: Hic enim vero, inquit, ille est, qui Castinatensium, cum amplissimo Canobio resulerat, ex objecta mihi specie Divi Benedicti habitâ, quam simillimus. Mox cum Ferdinando Rege ac Julio Papa, summa sollicitudine per literas, ac nuncios agere non destitit; donec Monasterium Castinas ad eam Congregationem adjungeretur, cui S. Severini Sodales antea copulatos compererat. Hæc autem sodalitas, ab insigni apud Patavinos Canobio, deductis ortu ac nomine, Congregatio S. Justine de Padua, vulgo appellabatur, exquisita renascentis Monasticae Disciplinæ cultu atque observantia; Canobiorum numero atque amplitudine junctisque inter se tum domitijs, tum Monachorum animis, archissimo Religiosa Comunionis, ac pacis fadere: late per totam Italiam celeberrima. Hanc igitur sæculi præteriti anno quarto [scripserat hæc familiarissimus nobis Scipio anno Christi 1630.] Canobium Castinas (agente inrimis atque adveniente Consabvo) sibi tanquam capiti copulavit: ut anasuso in eam de suo nomine CONGREGATIONIS CASTINENSIS appellatione. Visentur etiam annuum Castini sacerdotales amictus ex veste Atalica crispante, quæ Consabvus Neapolim, parva de Gallis Victoria spectabilis, triumphali majestate ac pompa intrerat. Ex hac porro serie atque eventu rerum, quivis [opinor] facile animadverterit, Divi BENEDICTI Numen, quantopere Hispanorum Regum rationes, atque amplitudinem promoverit. Scilicet providebat, Neapolitanum Regnum, haud longo post tempore ad Austriacos Principes [sui generis sobolem] diffusio per tot provincias ac Regna dominatu, & Catholicorum Regum, non titulo magis, quam professione, atque actionibus gloriosissimos, devolutum iri: quorum in ditio futurum erat, ut plurima sui instituti collegia [Castinas præsertim] sanctitate atque opibus flourerent, gauderentque optimâ pace, ac Religioso orio, pijsimorum Principum munita Patrocinio, libertate cumulata, decorata Privilegijs. Ac mihi quidem, illud etiam hæc in re spectasse videtur sanctissimus Patriarcha: Ut quem admodum FRANCORUM OLIM REGIBUS,

Commen-
tarij Ab-
lati cucul-
o mivsi.

Consabvus
Magnus
Bell. Dux.

S. P. N. Be-
nedicti sup-
plicem exau-
ditur cum
veneratione.

Ope sancti
P. N. pro-
digiosa vi-
dencia.

Voti memor
Consabvus.

S. Severini
Neapolita-
ni Monaste-
rij Reformato.

Congrega-
tio S. Jus-
tina.

Aeternum
meritum de
Regibus
Hisp.
S. P. N.

E

GIBUS,

GIBUS, PER SUI ORDINIS HO-
 MINES, GALLIÆ SCEPTRUM,
 AC DIADEMA CONCILIAVE-
 RAT: SIC HISPANOS REGES
 BONA ITALIÆ PARTE, LONGE
 QUE PULCHERRIMA DONA-
 TOS, HAUD DISSIMILI BENEFICIO PER SE IPSE ADIUVARET &c. Ita Scipio. Inter alios

Antonius
 de la Haye
 Abb. S. Dionysij obiit.

Ordinis Viros Illustres morte, hoc anno felici extinguitur, Antonius de la Haye Abbas Regij Galliarum Archidionysij, quem CONSANGUINEUM & Confiliarium in litteris suis vocabat Ludovicus XII. Francorum Rex Augustissimus. Ut hinc satis animadvertas, florem Ordinis in Regno illo liligero, cui Regij sanguinis viri, & hic & plurimi alij nomen dare & seipfos emancipare, dignissimum duxerint. Ex S. Dionysij Historia. & Cl. Roberto.

Isabella
 Castella
 Regina nostris accensenda.

Moritur hoc anno insignis novi Ordinis sub Regula sancti Patris nostri promotrix, Isabella Castellæ & Legionis Regina, quæ Beatæ Beatrixi nostræ condendo primo Conceptionis Immaculatæ Canobio Palatium proprium, quod Galliana dicebatur, obtulit & donodedit, sacrumque illud & Cælo summè plausibile Institutum, tanquam altera ejusdem Mater fovit, inter nostros pro eximijs meritis referenda. Ex diversis rerum Hispaniæ Scripturis.

Henricus
 Juvenalis
 moritur.

Extinguitur hoc ipso anno illustrissimum sacræ Familiæ nostræ Castellinæ sydus, cæloque inseritur sanctæ memoriæ Henricus cognomento Juvenalis, Gallus natione, cujus sanctimoniam, eximiæ Virtutes & variæ de eventuris rebus revelationes, ac quarundam, pro quibus sacrum fecerat, animarum, è purgatricibus flammis liberatio, clarissimè comprobantur. Ex communicatione R. P. Philippi Malabeyla, & monumentis Castellinorum.

Joannes de
 Susato, Ab-
 bas Ab-
 dinek-
 hofensis.

In Germania, frigidissimo hoc sæculo sanctitatis splendoribus effulget, & Divini Pneumatis exardescit ignibus, Beatæ memoriæ Joannes de Susato, Abdinckhofensis Canobij Abbas spectatissimus, Henrici de Peynis, pari sanctitate viri dignissimus successor, & Reformationis Monastica ferventissimus promotor, cujus san-

ctis vitæ exemplis ipsi Paderbornenses Episcopi [situm in eadem urbe Monasterium est] plurimum lucis & fructus perditissimo tempore hausere; multaque ejusdem Auctoritate & Consilio, tota Diocæsi, ad conservationem Religionis & devotionis piæ & providè sunt instituta.

IESU CHRISTI ANNUS M. D. V.
 sancti Patris Benedicti. M. XXV.

Illustrissimus, albòque notandus Jcapillo hic annus est, novâ Ordinis nostri Archidionysij Casinatis Reformatione, Casinensis Congregationis nomine primùm exaudito. Cum Ferdinandando Hispaniarum Rege potentissimo, Contalvòque Prorege Neapolitano agentibus; ipso Patriarchâ nostro sanctissimo Benedicto, id ipsum efflagitante: Commendatarijs Abbatibus [qui ipsos quinquaginta annos patrimonio tanti Patris miserè incubuerant] liberatum Casinense Monasterium, cedente [qui ultimus occupaverat] Julij Rom. Pontificis precibus ac justis, Joanne Mediceo S. Romanæ Ecclesiæ Cardinale, nova lectissimorum Monachorum colonia, legitimo cum Præsule est solemniter introducta. Eusebius Mutinensis, ait Scipio, Congregationis S. Iustinae caput ac Præses, primus ex eadem sodalitate, Casinensis Abbas renunciatus, religioso centum Monachorum comitatu stipatus, Casinum adiit, sacrum Canobium ex sanctissima Regule præscripto, & recens usurpate consuetudinis laudatissimâ formulâ moderatus. Porro Eusebium adventantem, Casinates obviam effusi, pleno hilaritatis vultu, ac libentissimis animis excipiunt, omnibus Religiosi obsequij ac reverentia argumentis, domum officiosissimè deducunt. excepti vicissim ab Eusebio, ejusque socijs Casinates, nullum in eos humanitatis, nullum Benevolentie signum omittentibus. Cæterum ex hac, non minus animorum, quam Instituti ac nominis mutua inter ipsos communicatione, dici non potest, quantâ utrisque oborta sit, integerrimæ voluntatis ac lætitiæ affluentia, cum Patavina sodalitate Alumni, quo ipsi fruebantur castissimæ disciplinæ bono, cum omnibus illud Divi BENELECTI Canobij, communicatum peroptarent; Casinates verò apud Proregem Neapolitanum, ac Romanam

Casinum
 mirè Com-
 mendatario
 Abbate
 liberatur.

Eusebius
 Mutinensis
 Casini Ab-
 bas Re-
 form. I.

Casinum
 plausus.